

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Historiae ecclesiasticae saeculi ... XVI supplementum**

**Fecht, Johann**

**Francofurti et Spirae, 1684**

**VD17 VD17 3:315948Z**

CCXXIII.

[urn:nbn:de:bsz:31-122751](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:bsz:31-122751)

quantumlibet nervo destitutus, bella tamen spiret & caedes, nec mitiora ejus adversarii cogitant, eo quod sanguine intestino semel infecta manus, non possunt non ad praelia armari: sic flagellante regnum populosum Domino, tam pertinaci calamitate, quae ne ad nos usque perveniat, nihilo mitiora meritis, metuendum habemus. Sed bene vale in Christo Jesu. Salurant te reverenter Coccius, Füglinus, Grynaeus, Salvos jube meis verbis symmistas, Sturmium, Erasmus tuum, conjugem honestissimam & totam familiam. Basileæ, 25. Aprilis, Anno 77.

*Tuus ut semper*

Sulcerus.

CCXXIII.

*Salutem in eo, qui unica est salus, Redemptio & vita nostra.*

**G**Ratissimæ sanè mihi fuerunt Literæ tuæ, Vir Clarissime, honorande & Tamantissime frater, quas 20. hujus, Philippus Lersnerus, Ludimoderator Thomensis, reddidit; partim quia manu tua exarata, partim quia significabant, te nihil à veteri amicitia & necessitudine remisisse: Quin etiam eo gratiores, quia quasi complebant numerum earum, quas eodem die à Clarissimis Dominis Doctoribus Chytræo & Backmeistero Rostochianis, nec non à D. Sulzero Basiliensi acceperam. Cum quibus omnibus & singulis, ut propediem liberius in vita æterna conversari coram, & de ore ad os colloqui possim, faxit is, qui via, veritas & vita nostra existit. Cæterum ad commendationem tuam, Philippo nostro, in celebrandis nuptiis, tuo potissimum nomine, libenter adfuissem, siquidem per valetudinem meam (quæ adhuc minus confirmata est) licuisset. Qua in re idem me copiosius, dubio procul excusabit. D. Flinneri communis amici & fratris nostri vicem, non suo, sed Ecclesiæ Vestræ nomine ex animo doleo. Sed & D. Huberto, piè in Domino (uti scribis) defuncto, hanc felicissimam solutionem, ex hac miserrima vita gratulor, maxime quia ex tuis intellexi, ipsum ad mentem sanioem (quod in Zwinglianis rarissimum esse solet) rediisse. Et ut te curis & morbis confectum, Ecclesiæ Argentorateni (quam adhuc ex intimis meis visceribus amo, diligo, magnifacio) Deus Opt. Max. quam diutissime servet, veris gemitibus oro. Adventum D. D. Pappi expecto, cumque eo de statu & Reipublicæ & Ecclesiæ, cumpimis verò Academiæ Vestræ, conferam liberius, perque eundem fortassis copiosiores, siquidem valetudo mea & maxime vertigo, cum qua hætenus confictatus sum, hoc ipsum concesserit, ad te dabo.

Uti-

Utinam mihi divinitus concederetur, Vos adhuc ante meum obitum invisendi occasio. Haberm sanè, quæ de rebus meis privatis & publicis conferrem copiosius: Et sunt nonnulla, quæ libenter in sinum tuum deponerem. Sed fiat voluntas Domini. Cui & te, tuamque privatam, & in ea charissimam & castissimam costam tuam (quam meo & meæ nomine resalutabis, amanter, officiosè, reverenter, nec non publicam Ecclesiam, ex animo commendo. Vale Vir charissime, clarissime D. Doctor, frater dilectissime, & me meosque (nec non hosce novos conjuges nostros) tibi etiam deinceps commendatos habe. Raptim Ulmæ, 27. Aprilis, Anno 77.

*Tuus in Domino frater*

Ludovicus Rabus, D.



CCXXIV.

**M**iraberis fortassis, Vir clarissime, & mihi in Domino honorande frater, quod tam diu nihil literarum à me accipias. Ego dum idem miror, utrinque excusati sumus, magis tamen ego, quàm tu, qui scias, me occupatissimum. Quid agam, & quid hic geratur, & quo loco sint res in scholis & Ecclesiis harum regionum, ex mea oratione vili intelliges, quæ statum utcumque depingit. Elector magno & piissimo zelo agit, Lutherus Wittebergæ mortuus & sepultus à mortuis resurrexit, ut vides, aut caput saltem extulit sepulchro, ut corpus sequatur. Interim ego laboribus oppressus propemodum morior. Negotium Concordiæ feliciter currit. Quo minus scriptum Torgense ad vos transmissum sit, non aliam ob causam est, quam eam solam, ne duplicetur labor. Prius enim Principes inter sese contenderunt. Nunc cum de successu nihil amplius dubitem, spero, ita paratum scriptum, ut synce-ri Theologi nihil sint desideraturi. Non enim est unius Viri labor, etsi me propemodum confecit. Accipietis ergo primo quoque tempore magno cum gaudio & animi exultatione. Quod te scire volui. Interim meum, ut boni consulas, oro. Elector enim Saxonæ, quantum poterit, festinabit. Benè & feliciter cum uxore & liberis vale. Collegis tuis omnibus, inprimis Domino Flinnero & D. Grempio, meo nomine reverenter salutem & officia mea parata dicas. Raptim Lipsiæ, 4. Maji, 1577.

*Tuissimus*

Jacobus Andreæ.

A a a

CCXXV